

## Emendationes locorum aliquot Marciani Capellae.

P. 17. 18. (ed. Kopp.): 'nec solum superum regem adtestabatur uxorium: idque etiam Diti propositum idque Portuno, certumque esse Gradivum Nerienis Nerinae coniugis amore torrei; Aesculapio quoque non dispar affectio similique persuasione transduci Ope coniuga Cybeleque permulta maestissimum seniorem deorum: . . '

Klausenus (*Aeneas* II 746 sq.) de Neriene egregie disputans in hoc vehementer errare videtur quod (p. 749) Minervam adiective Nerinam appellatam esse contendit. nusquam enim huius cognominis ullum reperitur vestigium. neque omnino Minerva ita appellari potuit: Nero enim antiqua Martis coniunx remansit et apud aureae aetatis poetas vix commemoratur cum eius in locum et Minerva et Venus successerint, veteres autem poetae ubi de ea locuntur simpliciter Nerienis vocabulo utuntur cum antiquae huius deae memoria tunc temporis nondum cum Minerva aut Venere contaminata esset. sed vir ingeniosissimus ex nostro Marciani loco sua videtur hausisse perperam quidem; nam in aperto est Nerinae glossema esse (et fortasse idem censuit Prellerus, mythol. Rom. p. 303 cum hoc vocabulum omiserit) et e textu eiciendum. quo modo enim eadem dea primum Nero deinde Nerina coniunx

adpellari potuit? Marcianus aut dixisset Nerina coniunx aut Nerio coniunx.

Deinde Cybele que glossema est apertissimum. nemo enim sic loqui potest: Ope Cybele que eandem unamque deam significaturus. sed ad Ops, vocabulum librario non valde notum, ut lectoribus minus doctis consuleret, adscripsit: Cybele, quod deinde in verborum ordinem falso receptum est. postea cum Grotio quominus scribamus: permulsum Koppii ineptiae minime inpediunt.

P. 41: ' . atque ita nonnullis eminus vanescebat disparata prolixitas ut velut fumidae caligationis incredibilis haberetur aura'.

Haberetur aut egregie fallor aut aperte corruptum est. nam habere pro putare hic accipi non licet quia aura non putabatur esse sed re vera erat. facillima igitur mutatione scribendum est: 'haberetur', quod quanquam de aura paullo insolentius diceretur tamen notum est labendi verbum etiam saepissime usurpari de fluminibus similibusque rebus. atqui cum fluendi notione nostri loci sententia arte cohaeret. Cf. etiam Cic. de univ. 10 'sidera quae vaga et mutabili ratione labuntur'.

P. 50 § 16: 'Tandem trans fluvios qui ad quoddam Phoebi spectaculum ferebantur cum Virtute Mercurius constiterunt'.

Spectaculum Phoebi significare non potest: 'ad Phoebum videndum' cum neque spectaculum omnino ita, opinor, usurpetur, et obstet: 'quoddam'. tum enim dicendum erat: 'ad Phoebi spectaculum'. sed ne tum quidem si haec sententia in verbis inesset hoc non inepte dictum esset. quid enim Phoebi videndi inspicendi fluiis istis negotium? simpliciter ad eum ut ad originem suam ferebantur. neque minus inepta evadet sententia si spectaculum idem hoc loco significare statueris atque θέαμα. quale enim quaeso aut Phoebus edebat spectaculum aut fluvii poterant contemplari? pro spectaculum scribe mecum spelaeum. tum omnia rectissime procedunt neque mirandum hoc in Marciano vocabulum quippe quo uti ne Vergilius quidem dignatus sit. spelaeum autem hoc aptissime innuitur p. 39 extr. hisce verbis: 'licet inde quoque ad Indici montis secretum obumbratumque scopulum nube perpetua posterius migrasse perhibebant.'

P. 54 § 19: 'Tali dei temperamento Virtus admonita magisque cum eum salutares auras miscere consiperet, Graeci poetae Graium versum Mercurio comprobante conmemorat: Φοῖβος ἀκερσεκόμης λοιμοῦ τεφέλην ἀπεράκει.

*Ex quo pestem fugari posse Mercurius si voces primae vestigiis eius accederent admonebat.*

Tota res desumpta est ex Luciani Alexand. cap. 36 (p. 243 Reiz.) qui versiculum istum ab Alexandro editum esse narrat tanquam pestis remedium. sed quid faciendum de verbis Marcianni Graeci poetae? primi quidem quis unquam Graium versum ab alio aliquo quam a Graeco poeta factum esse contendit? praeterea omnino Graeci poetae ineptum est, nam nemo Graecus poeta versum istum profuderat. totus autem versus abierat in remedium pestilentiae ut de poeta loqui absurdum sit. hoc quidem optime intellexit codd. Grotiani et Berolinensis (eius quem ad deteriores pertinere dixi comm. crit. de Marc. Cap. partic. p. 24) archetypi librarius quippe in quo exaratum fuerit: caeci. librarius enim locum hac lenissima mutatione persanari censuit ignorans scilicet versum hunc Homeri non esse, sed oraculum aliquod per vulgatum ac nusquam non decantatum. itaque si quid aliud Graeci poetae glossema est ad explicandam Graecum versum ab antiquo aliquo librario additum. — deinde ex quo non video quid possit significare: tempus enim ex vocula exprimeretur: tum autem dictum esset: fugere non fugari posse. fugari enim docet antea quanam re pestis fugari possit dictum esse. itaque expungendum est ex et simplici quo sententia incipienda. ex autem facile potuit ex versiculi Latine scripti terminatione nasci. praeterea prima e mutandum videtur in primis cum necessario loquendum sit de primis pestis vestigiis, neque intellegatur cur primae versiculi voces reliquis aptiores sint ad pestem fugandam. itaque totum locum sic mihi videor restituisse: ‘.Virtus...cum eum salutares aures miscere conspicret Graium versum Mercurio comprobante conmemorat: Φοῖβος ἀκερσεκόμης λοιμοῦ νεφέλην ἀπερίκει. quo pestem fugari posse Mercurius si voces primis vestigiis eius accederent, admonebat.’

(Continuabitur.)

Franciscus Eyssenhart  
Berolinensis.